



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

IPILENSIS*

PRAELATURA TERRITORIALIS IPILENSIS AD GRADUM

AC DIGNITATEM DIOECESIS EVEHITUR

Quandoquidem Praelatura territorialis Ipilensis hisce temporibus eo numero clericorum operibusque pastoralibus crevit ut eius rerum externarum dispositio videretur aptanda esse, sententiam accipiendam putavimus Venerabilis Fratris Iulii S. Tonel, Episcopi Praelati Ipilensis. Ipse quidem, unanimo praehabito consensu coetus Episcoporum ecclesiasticae Provinciae Zamboangensis necnon Praesulum Conferentiae Episcoporum Philippinarum Insularum, a Nobis rogavit ut eandem ad dioecesis gradum et dignitatem eveheremus. Qua de causa, pro certo sane habentes in animarum bonum id esse cessurum, post auditum hoc super negotio Venerabilem Fratrem Eduardum Iosephum Adams, Archiepiscopum titulo Scalensem atque in Philippinis Insulis Apostolicum Nuntium, Nos, de plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae hasce per Litteras, de consilio Congregationis pro Episcopis, sequentia decernimus. Praelaturam Ipilensem in dioecesium numerum recensemus, immutata appellatione finibusque. Episcopi sedem in urbe vulgo Ipil ponimus, episcopalis vero magisterii cathedram in templo ibidem Deo dicato in honorem Sancti Ioseph Opificis statuimus, debitis cum iuribus. Ad regimen vero quod spectat novae conditae dioecesis, sacrorum eius Antistitem nominamus Venerabilem Fratrem Iulium S. Tonel, qui antehac huius Sedis fuit Episcopus Praelatus. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Haec, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Eduardo Iosepho Adams, quem diximus, eidem tribuentes necessarias opportunasque facultates quemlibet alium delegandi virum, ad effectum de quo agitur, qui sit in ecclesiastica dignitate constitutus, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis sincerum peractae executionis exemplar mittendi. Has denique Litteras Nostras nunc et in posterum ratas esse firmasque volumus, contrariis quibuslibet rebus

haud quaquam obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Maii, anno Domini bismillesimo decimo,
Pontificatus Nostri sexto.*

THARCISIUS card. BERTONE <i>Secretarius Status</i>	IVAN card. DIAS <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	--

Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. CIII (2011), n. 6, pp. 314-315 © Copyright 2010 - Libreria Editrice Vaticana